



The Holy See

ACTA PAULI PP. VI

CONSTITUTIO APOSTOLICA*

PAENITEMINI

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Paenitemini et credite Evangelio» ([1](#)): haec Domini verba nunc iteranda Nobis esse videretur, cum, Oecumenica Synodo Vaticana Secunda ad exitum feliciter perducta, citatiore veluti gradu Ecclesia suum pergit iter. Inter graves enim et instantes quaestiones, in quibus pastoralis sollicitudo vertitur Nostra, non postremum locum obtinere arbitramur officium universos filios Nostros, atque etiam omnes huius aetatis homines, religioso praeditos sensu, edocendi quid paenitentiae divina praeceptio serum ferat et quod eius sit momentum. Quod officium ut re vera exsequamur, Nos movet plenior, quam Concilium attulit, cognitio naturae Ecclesiae et huius cum mundo intercedentis necessitudinis.

Nam inter Concilium, Ecclesia mysterium sui proprium altius meditari volens, suam ipsius naturam plane expendit. Cuius naturae elementa, humana et divina, visibilia et invisibilia, caduca et numquam interitura, penitus introspectit. Vincula imprimis perpendens, quibus cum Christo eiusque salvifico opere coniungeretur, clariore in luce collocavit officium, ad quod implendum omnia membra divinitus vocantur, participandi munus ipsius Christi, etiam ad expiationem quod attinet ([2](#)). Praeterea Ecclesia magis magisque conscientia facta est, quamvis ex Dei consilio sancta et irreprehensibilis sit ([3](#)), e membris tamen se constare, quae maculis affici possint atque adeo continenter conversione ad Deum et sui renovatione indigeant ([4](#)), non tantum interiore et sui ipsorum, sed etiam exteriore et sociali ([5](#)). Denique Ecclesia munus suum attentius consideravit, ad civitatem terrestrem quod spectat ([6](#)): dum scilicet homines docet, qua ratione mundo uti et operam eius consecrationi debeant tribuere, simul eos ad salutarem hortatur abstinentiam, qua communiantur, ne, ad caelestem patriam peregrinantes, se rerum terrenarum usu praepediri patientur ([7](#)).

Quibus rationibus adducti, verba, quae Petrus primum post Pentecosten populum alloquens protulit, filiis nostris hodie iteramus: «Paenitentiam agite ... in remissionem peccatorum vestrorum...» ([8](#)); atque ea, quae Paulus olim ethnicis

Lystrenis nuntiavit, Nos etiam omnibus gentibus hodie significare volumus: «Convertimini ad Deum vivum» [\(9\)](#).

I

Ecclesia, cum, in Concilio congregata, attentius perpendit quae esset necessitudo, qua ipsa non solum fratres a sua communione seiunctos, sed etiam religiones non christianas attingeret, libenter animadvertisit paenitentiam fere ubique terrarum magni aestimari, quippe quae arte conectatur sive cum sensu illo religioso, quo antiquarum gentium vita imbuitur, sive cum subtilioribus notionibus, quae in religionibus ad altiorem gradum proiectis et cum progrediente ingeniorum cultu coniunctis, inveniuntur [\(10\)](#).

In Vetere Testamento religiosa paenitentiae ratio clarius usque manifestatur. Quamquam enim homines eam agunt, vel Dei indignationem post peccatum placare cupientes [\(11\)](#), vel rebus adversis vexati [\(12\)](#), vel peculiaribus ingruentibus malis permoti [\(13\)](#), vel divina beneficia impetrare studentes [\(14\)](#), tamen ii externum paenitentiae opus cum interiore ad Deum conversionis habitu solent coniungere, quo fit, ut animum, a peccato retractum ad Deum novo nisu convertant [\(15\)](#). Quin etiam a cibis abstinent suaque derelinquent bona - ieuniis enim, praeter Dei precationes et laudes, caritatis opera addi solent [\(16\)](#) - etiam post peccatorum remissionem, quamquam nullum a Deo impetrandum est munus; ieuniis enim et ciliciis utuntur, ut «anemas suas» affcent [\(17\)](#), ut se coram Domino prosternant [\(18\)](#), ut faciem suam ad Deum vertant [\(19\)](#), ut ad supplicationes facilis se comportant [\(20\)](#), ut melius divina intellegant, ut parati sint Deo obviam fieri [\(21\)](#). Est igitur paenitentia, iam in Vetere Testamento, pia et sui cuiusque propria actio, quae eo ad postremum spectat, ut Deum adamemus eique nosmet ipsos prorsus concredamus. Non nobis, sed Deo est ieunandum [\(22\)](#).

Huiusmodi sane indolem omnis paenitentia preferat oportet, etiam in ritibus lege praescriptis et ordinatis.

Quotiescumque id ad usum non deducitur, ita conqueritur Dominus: «Nolite ieunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in celo clamor vester» [\(23\)](#). «Scindite corda vestra et non vestimenta vestra...» [\(24\)](#).

Neque in Vetere Testamento desideratur socialis, quam dicunt, paenitentiae indoles. Nam ex paenitentialibus Veteris Testamenti ritibus, non solum communis cogitur peccatorum conscientia, sed etiam condicio enuntiatur, qua ad Populum Dei quis pertineat [\(25\)](#).

Item satis est animadvertere paenitentiam, etiam ante Christum natum, perfectionis et sanctitatis instrumentum et signum existimatam esse, ut Iudith [\(26\)](#), Daniel [\(27\)](#), Anna prophetissa multique praestantes viri ac mulieres comprobant, «ieiuniis et obsecrationibus (Deo) servientes nocte ac die» [\(28\)](#), cum gaudio et laetitia [\(29\)](#).

E Vetere Testamento demum patet homines iustos sua paenitentia pro totius hominum communitatis peccatis satis fecesse, ex quibus mentione dignus est Moyses, qui quadraginta dies ieunavit, ut Deum ob infidelis populi culpas placaret [\(30\)](#). Ita maxime nobis exhibetur «Dei Servus», qui «languores nostros... tulit», et in quo «posuit Dominus ... iniquitatem omnium nostrum» [\(31\)](#).

Haec tamen contingebant ut sacramentum futuri [\(32\)](#). Etenim paenitentia, quae interioris vitae necessitas est, universi generis humani experientia religiosa comprobata, et peculiari divinae revelationis pracepto iniungitur, in Christo et in Ecclesia novas prorsus significationes easque altissimas accipit.

Christus, qui semper in vita sua coepit ipse facere et docere, antequam munus suum susciperet, quadraginta dies et quadraginta noctes in oratione et ieunio duxit, atque apostolici operis sui publice initium fecit laeto quidem nuntio «Appropinquavit Regnum Dei», sed statim addidit mandatum: «paenitemini et credite Evangelio» (33). Quae verba totius vitae christiana quasi summa sunt et complexio.

Ad Christi Regnum nobis fas est accedere tantum «metánoia», id est intima totius hominis mutatione, qua ipse cogitare, iudicare vitamque suam componere incipit ea sanctitate et caritate Dei per celsus, quae in Filio novissime manifestatae sunt et please nobis impertitiae (34).

Invitatio Filii Dei ad «metánoiam» peragendam, instantius urget, propterea quod non solum ad eam ipse hortatur, sed etiam exemplum paenitentiae praebet. Nam Christus maximum exemplum paenitentibus dedit, eo quod non pro peccato suo, sed pro peccatis aliorum voluit poenas subire (35).

In Christi conspectu homo positus, nova luce collustratur, atque adeo cum Dei sanctitatem tum peccati malitiam agnoscit (36); per Christi verbum ei nuntium traditur, quo et ad conversionem ad Deum fit Invitatio et peccatorum venia conceditur, quae dona ipse per Baptismum plene consequitur, qui hominem configurans ad similitudinem Domini Passionis, Mortis et Resurrectionis (37), exinde totam eiusdem vitam huius mysterii veluti sigillo reddit insignem.

Divini Magistri vestigiis insistens, quisquis christiano nomine censetur, seipsum debet abnegare, suam crucem tollere, eius dolores participare; et ita in eius mortis imaginem transfiguratus, resurrectionis gloriam potest mereri (38). Praeterea non sibi post haec vivere debet (39), sed Deo, qui eum dilexit et tradidit semet ipsum pro eo (40); vivere debet etiam fratribus, ut «adimpleat ea quae desunt passionum Christi in carne sua... pro corpore eius, quod est Ecclesia» (41).

Accedit etiam quod, cum Ecclesia artissimo vinculo cum Christo coniungatur, cuiuslibet fidelis paenitentia ad universam hominum communitatem intima quadam necessitudine pertinet; non solum enim per Baptismum ipse in Ecclesia primarium domum «metánoiae» accipit, sed in Ecclesia etiam idem donum in membris peccantibus restauratur et roboratur per Paenitentiae Sacramentum. «Qui vero ad Sacramentum Paenitentiae accedunt, veniam offensionis Deo illatae ab eius misericordia obtinent, et simul reconciliantur cum Ecclesia, quam peccando vulneraverunt et quae eorum conversioni caritate, exemplo, precibus allaborat» (42). In Ecclesia denique peculiari ratione supernae Christi satisfactionis particeps redditur parvum satisfactionis opus, singulis paenitentibus in Sacramento impositum, cui, ex generali Ecclesiae praescripto, penitus iunguntur cetera quoque opera, quae fidelis facit, patitur, sustinet (43).

Ita fit, ut munus «mortificationem» Domini semper in corpore et in animo circumferendi (44) in totam hominis baptizati vitam quovis tempore et quavis ratione penetret.

II

Interior tamen et religiosa paenitentiae insoles, quamvis praestantior sit novasque formas in Ecclesia excitet, tamen exteriorem eiusdem virtutis usum non solum nullo modo submovet vel extenuat, sed etiam eos necessitatem in nostrae aetatis humana consortione singulari cum vehementia urget (45); quam ob rem Ecclesia, praeter ieunium et abstinentiam, temporum signa

perspiciens, eas semper novas formas paenitentiae quaerit, quae eiusdem fini, pro singulis aetatibus, magis aptae sint et accommodatae.

In germana autem paenitentiae virtute disciplina «asceseos», quae corporis etiam castigationem complectitur, nequit praetermitti, cum totus homo, anima scilicet et corpus - quin immo natura quoque rationis expers, ut saepe Sacra Scriptura memorat -(46) huic sacrae exercitationi se dedat oporteat, qua omnes creatae res sanctitatem Dei et maiestatem affirment.

Praeterea corporis castigations necessites clarius patet, si humanae naturae fragilitas perpenditur, cum post Adae peccatum caro pugnet adversus spiritum, spiritus autem adversus carpem (47). Longe tamen abest, ut haec exercitatio Stoicorum placita sapiat: minime enim damnanda et reicienda dicitur caro, cum eam Dei Filius assumpserit (48). Quin etiam corporis maceratio eo spectat, ut liberetur homo (49), qui sensibus ob inordinatam concupiscentiam tamquam catena saepe devincitur (50), ut «corporali ieunio» robur acquirat (51), ut denique «dignitas condicionis humanae per immoderantiam sauciata, medicinalis parsimoniae studio reformatur» (52).

In Novo Testamento et in Ecclesiae historia, licet paenitentiae officium ea ratione declaretur, qua quis Christo patienti assimulatur, tamen necessitas «asceseos», qua corpus castigatur et in servitudinem redigitur, imprimis Christi exemplo instanter urgetur (53).

Contra nimis exteriorem observantiam, phariseorum modum se gerendi redolentem, in Novo Testamento, divino praeeunte Magistro, Apostoli, Patres et Summi Pontifices quamlibet paenitentiae formam, quae tantum externa esset, apertis verbis damnaverunt: liturgici textus et omnium aetatum scriptores intimam necessitudinem inter exteriorem paenitentiae actum et animi ad Deum conversionem, precationem et caritatis opera intercedentem luculenter patefaciunt (54).

III

Quare Ecclesia, dum confirmat, in paenitentiae virtute excenda, maximi aestimandam esse eius indolem religiosam et supernam, qua etiam nostrae aetatis homines potissimum iuvantur, ut percipient quid sit Deus, quae sint eius iura in hominem, quae salus a Christo allata (55), omnes christifideles vehementer hortatur, ut interiorem animi ad Deum conversionem cum exterioribus corporis castigationis actibus coniungant.

- a) Instat imprimis Ecclesia, ut omnes paenitentiae virtutem exerceant constanter obeundo mursera, quae ad propriae vitae statum spectant, et patienter sustinendo cotidiani operis socias vitae terrenae aerumnas, eiusdemque incertam condicionem, quae anxietatem animo ingerit (56).
- b) Quaedam vero Ecclesiae membra, quae infirmitate, morbo, paupertate variisque miseriis premuntur, vel «persecutionem patiuntur propter iustitiam», monentur, ut suos dolores cum Christo patienter coniungere discant, et ita non solum paenitentiae officium plenius exsequantur, sed etiam vitam, divina gratia alitam, fratribus sibique beatitatem in Evangelio promissam mereantur (57).

c) Abnegationis officium perfectiore ratione tum a sacerdotibus, charactere Christi altius insignitis, tum ab iis impleatur oportet, qui, ut Domini «exinanitionem» pressius sequantur et ad caritatis perfectionem facilius efficaciusque contendant, consilia evangelica profitentur (58).

Ad unum lumen omnes fideles cohortatur Ecclesia, ut, praeter incommoda et iacturas, quae cotidianaे vitae rationi comitantur, divino paenitentiae pracepto corpus quoque nonnullis castigationis actibus affligendi obtemperent (59).

Ut igitur paenitentiae praceptum in filiorum suorum memoriam revocet eiusque observantiam urgeat, Apostolica Sedes paenitentiale disciplinam componere sibi proponit, temporum necessitatibus accommodatam.

Pertinet autem ad sollicitudinem et prudentiam Episcoporum, in Coetibus seu «Conferentiis» congregatorum, pro sua locorum et hominum cognitione, normas edere, quae efficacius ad finem assequendum conducant, firmis tamen his quae sequuntur.

Imprimis id Ecclesia cupit significare tres esse modos praecipuos, antiquitus traditos, quibus divino paenitentiae pracepto satisfieri possit: scilicet precationem, iejunium, opera caritatis, quamvis praesertim abstinentiam a carne et iejunium tuita sit. Hae paenitentiae agendae rationes omnibus aetatibus fuerunt communes; nostris tamen temporibus peculiares afferuntur causae ob quas, pro variis locorum adjunctis, certus quidam paenitentiae modus p[er] ceteris urgeatur (60). Itaque apud gentes, quae maiore oeconomicorum bonorum copia fruuntur, urgeatur testimonium abnegationis, ne christifideles ad hoc saeculum conformatur (61), simulque urgeatur testimonium caritatis erga fratres, etiam dissitas regiones inhabitantes, qui paupertate et fame vexentur (62).

Apud gentes vero, quae in tenuioribus vitae condicionibus versentur, Deo gratius acceptiusque erit atque membris corporis Christi utilius, si homines, non praetermissis opportunitatibus condicionem socialem reddendi aequiorem, aerumnas suas in prectione Deo Patri offerant, cum Christi doloribus pie arteque coniuncti.

Quapropter usum exteriorem paenitentiae, per plura saecula canonice servatum, etiam quoad abstinentiam a carnibus et iejunium, Ecclesia, ubi id opportunius servari possit, retinens, ceteros quoque paenitentiae modos auctoritate suarum praescriptionum muniendos esse censem, sicubi Coetibus seu «Conferentiis» Episcoporum oportunum visum fuerit, pro abstinentiae et ieunii observantia, precandi exercitium et caritatis opera substituere.

Ut autem cuncti christifideles communi quadam paenitentiae celebratione inter se coniungantur, Sedes Apostolica quosdam dies et quaedam tempora statuere decernit (63), quae, inter annum liturgicum, Paschale Christi Mysterium satius exprimant (64) aut peculiaribus Ecclesiae necessitatibus postulentur (65). Quam ob rem ea quae sequuntur declarantur atque statuuntur:

I. § 1. Omnes fideles paenitentiam agere ex lege divina tenentur.

§2. Quae vero ex lege ecclesiastica in re servanda praecipiuntur, sequentibus normis ab integro ordinantur.

II. § 1. Tempus Quadragesimale suam indolem paenitentialem retinet.

§2. Dies paenitentiae, *obligatorie* in tota Ecclesia servandi, sunt singulae sextae feriae totius anni et feria quarta Cinerum, vel, pro diversitate Rituum, primus dies Magnae Quadragesimae; eorum substantialis observantia graviter tenet.

§3. Salvis facultatibus, de quibus in nn. VI et VIII, ad paenitentiam his diebus agendam, abstinentia servetur singulis anni sextis feriis, nisi sint dies festi de pracepto; abstinentia vero et ieiunium, feria quarta Cinerum, vel, pro diversitate Rituum, primo die Magnae Quadragesimae, et feria sexta in Passione et Morte Christi Iesu.

III. § 1. Abstinentiae lex vetat carne vesei, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipi animalium.

§2. Lex ieiunii praescribit, ut nonnisi unica per diem comestio fiat; sed non vetat aliquid cibi mane et vespero sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine.

IV. Lege abstinentiae ii tenentur, qui decimum quartum aetatis annum expleverint, lege vero ieiunii astringuntur omnes ab expleto vicesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum. Quod ad eos autem spectat qui minoris sunt aetatis, singulari studio current animorum pastores atque parentes, ut ii ad genuinum paenitentiae sensum informentur.

V. Abrogatis omnibus privilegiis atque indultis sive generalibus sive peculiaribus, hisce normis nihil immutatur neque de votis cuiuslibet personae physicae vel moralis, neque de constitutionibus ac regulis cuiusvis Religionis vel Instituti approbati.

VI. § 1. Ad normam Decreti conciliaris Christus Dominus, de pastorali Episcoporum munere, n. 38, 4, ad Conferentias Episcopales pertinet:

- a) iusta de causa, dies paenitentiae transferre, habita semper ratione quadragesimalis temporis;
- b) alias formas paenitentiae, praesertim opera caritatis et exercitationes pietatis, in totum vel ex parte pro abstinentia et ieiunio substituere.

§2. Quae hac de re statuerint, Conferentiae Episcopales Apostolicae Sedi, notitiae causa, renuntient.

VII. Firma facultate, quae singulis Episcopis competit, dispensandi ad normam eiusdem Decreti *Christus Dominus*, n. 8, b, etiam parochus, iusta de causa et servatis Ordinariorum praescriptionibus, potest concedere sive singulis fidelibus, sive singulis familiis, dispensationem aut commutationem abstinentiae et ieiunii in alia pia opera; idque potest etiam Superior Religionis aut Instituti clericalis, quoad proprios subditos.

VIII. In Ecclesiis Orientalibus, ad Patriarcham cum Synodo, vel ad supremam cuiusvis Ecclesiae Auctoritatem cum Concilio Hierarcharum ius pertinet determinandi dies ieiunii et abstinentiae, ad normam Decreti conciliaris *De Ecclesiis Orientalibus Catholicis*; n 23.

IX. § 1. Valde optandum est ut Episcopi, ceterique animorum pastores, praeter frequentiorem usum Sacramenti Paenitentiae, extraordinaria paenitentiae opera, expiationis aut impetrationis

causa, praesertim tempore Quadragesimae, sedulo promoveant.

§2. Omnibus vero fidelibus magnopere commendatur, ut christiano paenitentiali sensu animum suum sincere imbuant, quo aptius ad paenitentiae et caritatis opera incitentur.

X. § 1. Haec praescripta, quae, praeter consuetudinem, per acta diurna, quibus *L'Osservatore Romano* est index, promulgantur, vigere incipient a feria IV Cinerum huius anni, hoc est a die XXIII huius mensis.

§2. Ubi vero hucusque viguerunt peculiaria privilegia et indulta sive generalia, sive particularia cuiusvis generis, ibi concessa censeatur vacatio legis sex mensium a die promulgationis.

Nostra haec statuta et praescripta nunc et in posterum firma et efficacia esse et fore volumis, non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Nostris Decessoribus editis, ceterisque praescriptionibus etiam peculiari mentione et derogatione dignis.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XVII mensis Februarii, anno MDCCCLXVI, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI

* AAS 58 (1966), pp. 177-198

(1)

Mc 1,15

(2)

Cf Const dogm. *Lumen Gentium*, de Ecclesia, n. 5; *ib.*, n. 8; cf Decret. concil. *Apostolicam Actuositatem*, de apostolatu laicorum, n. 1

(3)

Eph 5,27

(4)

Cf Const. dogm. *Lumen Gentium*, de Ecclesia, n. 8; cf Decret. concil. *Unitatis Redintegratio*, de oecumenismo, n. 4; *ib.*, n. 7; *ib.*, n. 8

(5)

Cf Const. *Sacrosanctum Concilium*, de sacra liturgia, n. 110

(6)

Cf Const. past. *Gaudium et Spes*, de Ecclesia in mundo fmius temporis, passim et imprimis n. 40

(7)

Cf 1 Cor 7,31; Rom 12,2; cf Decret. concil. *Unitatis redintegratio*, de oecumenismo, n. 6; cf Const. dogm. *Lumen Gentium*, de Ecclesia, n. 8; *ib.*, n. 9; cf Const. past. *Gaudium et Spes*, de Ecclesia in mundo huius temporis, n. 37, n. 39 et n. 93

(8)

Act 2,38

(9)

Act 14,14; cf PAULI VI Allocutio ad Unitarum Nationum Coetum, habita die 4 mensis Octobris anno 1965, AAS, LVII, 1965, p. 885

(10)

Cf Declaratio *Nostra Aetate*, de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas, n. 2; *ib.*, n. 3

(11)

Cf 1 *Reg* 7,6; cf 3 *Reg* 21,20 et 27; cf *Ier* 36,9; cf *Ion* 3,4-5

(12)

Cf 1 *Reg* 31,13; cf 2 *Reg* 1,12; cf *ib.*, 3,35; cf *Bar* 1,3-5; cf *Jtd* 20,26

(13)

Cf *Idt* 4,8 et 12; cf *Est* 4,15-16; cf *Ps* 34,13; cf 2 *Par* 20,3

(14)

Cf 1 *Reg* 14,24; cf 2 *Reg* 12,16; cf *ib.*, 22; cf *Es* 8,21

(15)

In iisdem locis supra memoratis, indoles interior paenitentiae clare illustratur: cf 1 *Reg* 7,3; cf *Ier* 36,6-7; cf *Bar* 1,17-18; cf *Idt* 8,16-17; cf *Ion* 3,8; cf *Zac* 8,19.21

(16)

Cf *Is* 58,6-7; cf *Tb* 12,8-9

(17)

Cf *Lv* 16,31

(18) Cf. *Dn* 10,12

(19) Cf *ib.*, 9,3

(20)

Cf *ib.*

(21)

Cf *Ex* 34,28

(22)

Cf *Ze* 7,5

(23)

Is 58,4

(24)

// 2,13; cf *Is* 58,5-6; cf *Am* 5, passim; *Is* 1,13-20; *Ier* 14,12; *Zc* 7,4-14; *Tb* 12,8; *Ps* 50,18-19; etc.

(25)

Cf *Lv* 23,29

(26)

Cf *Idt* 8,6

(27)

Cf *Dn* 10,3

(28)

Cf *Lc* 2,37; *Eccli* 31,12, et 17-19; 37,32-34

(29)

Cf *Zack* 8,19; *Mt* 6,17

(30)

Cf *Dt* 9,9 et 18; *Ex* 24,18

(31)

Cf *Is* 53,4-11

(32)

Cf *Heb* 10,1

(33)

Mc 1,15

(34)

Cf *Heb* 1,2; *Col* 1,19 et passim; *Eph* 1,23 et passim.

(35)

Cf *Summa Theol.* P. III, q. XV, a. 1, ad 5.

(36)

Cf *Lc* 5,8; 7,36-50

(37)

Cf *Rom* 6,3-11; *Col* 2,11-15; 3,1-4

(38)

Cf *Phil* 3,10-11; *Rom* 8,17

(39)

Cf *Rom* 6,10; 14,8; 2 *Cor* 5,15; *Phil* 1,21

(40)

Gal 2,20; cf Const. dogm. *Lumen Gentium*, de Ecclesia, n. 7

(41)

Cf *Col* 1,24; cf Decret. concil. *Ad Gentes*, de activitate missioniali Ecclesiae, n. 36; cf Decret. concil *Optatam Totius Ecclesiae*, de istituzione sacerdotale, n. 2

(42)

Cf Const. dogm. *Lumen Gentium*, de Ecclesia, n. 11; cf Decret. concil. *Presbyterorum Ordinis*, de presbyterorum ministereo et vita, nn. 5 et 6

(43)

Cf S. THOMAS, *Quaestiones Quodlib.*, III, q. XIII, a. 28

(44)

Cf 2 *Cor* 4,10

(45)

Cf Decret. concil. *Presbyterorum Ordinis*, de presbyterorum in ministerio et vita, n. 16; cf Const. past. *Gaudium et Spes*, de Ecclesia in mundo huius temporis, n. 49 et n. 52; cf *ib.*, n. 52; cf PII XII,

Oratio ad Patres Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, ceterosque locorum Ordinarios, ob sollemnem dogmaticam definitionem corporeae in caelum Assumptionis B. M. V. Romae coadunatos, habita die 2 Novembris 1950; AAS XVII, 1950, pp. 786-788; cf IUSTINUS, Dialogus cum Triphone 141, 2-3; MG 6, 797, 799; cf 2 Clementis 8,1-3; F. X. FUNK, Patres apostolici, ed. 2, Tübinger, 1961, I, 192-194

(46) Cf *Ion* 3,7-8

(47) Cf *Gal* 5,16-17; *Rom* 7,23

(48) Cf *Martirologium Romanum*, in Vigilia Nativ. D. N. 1. C.; cf *1 Tim* 4,4-5; cf *Phil* 4,8; cf ORIGENES, *Contra Celsum*, 7,36; MG 11, 1472, ubi Celsus christianos exprobat quod materiam magni faciunt, et illos votat: *philosòmaton ghenos*.

(49) Cf *Liturgia Quadragesimae*, passim.

(50) Cf *Rom* 7,23

(51) Cf *Missale Romanum*, Praef. Quadragesimae

(52) *Ib.*, Oratio in Feria V post dom. I Passionis

(53) Cf A) In novo Testamento: 1) verba et exemplum Christi: cf *Mt* 17,20; *ib.*, 5,29-30; *ib.*, 11,21-24; cf *ib.*, 3,4; 11,7-11 (a Christo Ioannes Baptista laudatur); cf *ib.*, 4,2; *Mc* 1,13; *Lc* 4,1-2 (fesus ipse ieunavit); 2) testimonium et doctrina Pauli: 1 *Cor* 9, 24-27; *Gal* 5,16; 2 *Cor* 6,5; *ib.*, 11,27; 3) in Ecclesia primaeva: *Act* 13,3; *ib.*, 14,22, etc.

B) Apud Patres: en aliquot loci servato temporis ordroe dispositi: *Didaché* 1,4; FUNK, 1, 2; CLEMENS ROMANUS, 1 *Cor* 7,4-8, 5; FUNK, I, 108-110; 2 *Clementis*, 16,4; FUNK, II, 204; ARISTIDES, *Apologia* 15,9; GOODSPEED, Göttingen, 1914, 21; HERMAS, *Pastor*, *Sim.* 5,1,3-5; FUNK, 1, 530; TERTULLIANUS, *De Paenitentia* 9; ML 1, 1243-1244; ID., *De Ieiunio* 17; ML 2, 978; ORIGENES, *Homiliae in Lev.*, Hom. 10, 2: MG 12, 528; S. ATHANASIUS, *De Virginitate*, 6; MG 28, 257; 7, 8; MG 28, 260, 261; BASILIUS, *Homeliae*, Hom. 2, 5; MG 31, 192; AMBROSIUS, *De Virginibus* 3, 2, 5; ML 16, 221; ID., *De Elia et Ieiunio*, 2, 2; 3, 4; 8, 22; 10, 33; ML 14, 698, 708; HIERONYMUS, *Epist.* 22, 17; ML 22, 404; ID., *Epist.* 130, 10; ML 22, 1115; AUGUSTINUS, *Sermo* 208, 2; ML 38, 1045; ID., *Epist.* 211, 8; ML 33, 960; CASSIANUS, *Collationes* 21, 13, 14, 17; ML 49, 1187; NILUS, *De Octo Spiritibus malitia*e, 1; MG 79, 1145; DIADOCHUS PHOTICENSIS, *Capita centum de perfectione spirituali* 47; MG 65, 1182; LEO MAGNUS, *Sermo* 12, 4; ML 54, 171; ID., *Sermo* 86, 1; ML 54, 437-438; *Sacramentarium Leonianum*, Praef. Temp. autumni; ML 55, 112

(54) A) In N. T.: cf *Mt* 6,16-18; *ib.*, 15,11; *Heb* 13,9; cf *Rom* 14,15-23;

B) Apud Patres: cf annotat. n. 53, B.

(55) Cf Const. past. *Gaudium et Spes*, de Ecclesia in mundo huius temporis, n. 10 et n. 41.

(56) Const. dogm. *Lumen Gentium*, de Ecclesia, n. 34; *Ib.*, n. 36; *Ib.*, n. 41; cf Const. past. *Gaudium et Spes*, de Ecclesia in mundo huius temporis, n. 4

(57) Cf Const. dogm. *Lumen Gentium*, de Ecclesia, n. 41

(58) Cf Decret. concil. *Presbyterorum Ordinis*, de presbyterorum ministerio et vita, n. 12; cf *ib.*, n. 13; cf *ib.*, n. 16 et 17; cf Const. dogm. *Lumen Gentium*, de Ecclesia, n. 41; cf Decret. concil. *Ad Gentes*, de activitate missionali Ecclesiae, n. 24; cf Const. dogm. *Lumen Gentium*, de Ecclesia, n. 42; cf Decret. Concil. *Perfectae Caritatis*, de accommodata renovatione vitae religiosae, n. 7; *ib.*, n. 12, 13, 14, 25; cf Decret. concil. *Optatam totius Ecclesiae*, de institutione sacerdotale, n. 2; *ib.*, n. 8, 9

(59) Cf Const. dogm. *Lumen Gentium*, de Ecclesia, n. 42; cf Const. *Sacrosanctum Concilium*, de sacra liturgia, n. 9; *Ib.*, n. 12; *Ib.*, n. 104

(60) Cf *Ib.*, n. 110

(61) Cf *Rom* 12,2; cf *Mc* 2,19; *Mt* 9,15; cf Const. past. *Gaudium et Spes*, de Ecclesia in mundo huius temporis, n. 37

(62) Cf *Rom* 15,26-27; *Gal* 2,10; *2 Cor* 8,9; *Act* 24,17; cf Const. past. *Gaudium et Spes*, de Ecclesia in mundo huius temporis, n. 88

(63) Cf Const. *Sacrosanctum Concilium*, de sacra liturgia, n. 105

(64) Cf *ib.*, n. 107; De tempore quadragesimali tamquam praeparatione ad mysterium paschale celebrandum, cf *ib.*, n. 109; De mysterio paschali singulis hebdomadis celebrando, cf *ib.*, n. 102; cf etiam *ib.*, n. 106; cf EUSEBIUS, *De sollemnitate paschali*, 12; MG 24, 75; ID., *ib.* 7; MG, 1.c. 701; cf IOANNES CHRISOSTOMUS, *In ep. I ad Tim* 5,3; MG 62, 529-530

(65) Cf *Aet* 13,3